



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Regia Via Crvcis

Haeften, Benedictus van

Antverpiæ, 1635

Cap. II. Crux certa ad cælum via: omnibus perambulanda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46093](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46093)

## CAPVT II.

CRUX certa ad cælum, via: omnibus  
perambulanda.

Hæc est via, ambulate in eâ. *Isaiæ 30, 21.*

Ardua floriferæ CRUX cingitur orbe coronæ: *Paulin.*  
*Hanc, age, si volup' est tollere, tolle CRUCEM.* *Epist. 12.*



NON poterat tam calidas preces  
non exaudire is, qui *prope est* *Psal. 144,*  
*omnibus inuocantibus eum in* *18.*  
*veritate; & his præsertim, qui* *Psal. 33,*  
*tribulato sunt corde.* Volens *19.*

proinde consolari ancillam suam, pulcherrimâ iuuenis specie, multoque lumine coruscans, se illi visendum præbuit. Tam inopinatus formosissimi adolescentis aspectus pænè stuporem Staurophilæ attulit, & vocem prorsus interclusit. Sed benignissimus IESVS blandè eam sic compellauit: Noli expauescere filia, ego sum æterna Sapientia, *initium* *Prou. 8, 22.*  
*viarum Domini.* \* *Ego sum VIA, veritas, &* \* *Ioan. 14,*  
*vita.* Et ad hoc nunc veni, vt desiderio tuo *6.*  
faciam fatis. Complacuit enim deprecatio tua, quæ ardenti emissa corde, velut virgula fumi ascendit ante conspectum meum. Melius sanè optare nihil poteras: *Hæc enim di-* *Ier. 6, 16.*

8 REGIÆ VIÆ CRVCIS

• Hæc est via, ambulate in ea. Isa. 30. 21



Ardua florifere CRVX cingitur orbe corone:  
Hanc, age, si volup' est tollere, tolle CRVCEM

*cit Dominus: State super VIAS, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit VIA BONA, & ambulate in eâ: & inuenietis refrigerium animabus vestris. Propterea & ego nunc ad vocem orationis tuæ inclinavi cælos, & descendi, vt docerem te VIAM SALVTIS quam exquirat anima tua.*

Lætabatur admodum hæc audiens Staurophila, atque admirans dicebat: Domine, quid est homo quòd memor es eius? Et vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me? Quòd ad te accesserim, inquiebat Christus, non tua dignitas, sed mea fuit dignatio. Nam *delicia meæ esse cum filijs hominum.* Ad Prou. 8, 31 hæc Staurophila: Gratia tibi, benignissime IESV, quia respexisti humilitatem ancillæ tuæ, nec despexisti orationem pauperis. Sed, obsecro, fiat mihi nunc secundum verbum tuum, & doce ancillam tuam VIAM VERITATIS, & semitas iustitiæ.

Audi igitur filia, inquiebat Christus, & inclina aurem tuam, vt intelligas verba vitæ æternæ. Postquam omnis caro corruperat viam suam, & à tramite iustitiæ deflexerat, descendi ego de cælo vt *initiarem vobis* Heb. 10, 10. *VIAM NOVAM, & viuentem per velamen, id est, carnem meam.* Sicuti enim caro viam cæli clauserat, & velut obstaculum sese opposuerat: ita per velamen carnis meæ, quâ ego

A S . . . pro-

Ita exponit Anselm. in cap. 10. ad Hebr. propter vos homines, & propter vestram salutem obuiolatus fui, NOVAM VOBIS VIAM dedicaui. Quam ipse omnium primus intraui, ipse primus perambulauit, & fidelibus potestatem ambulandi per eam tribui.

Sed, inquit Staurophila, haud facile assequor quænam hæc noua viuensque VIA, quæ & intrantes viuere faciat, & perducatur ad vitam æternam, Via hæc, inquit Christus, ut verbo dicam, non est alia quam VIA CRVCIS. An non audisti in Euangelio: *Qui non accipit CRUCEM suam, & sequitur me, non est me dignus?* Quam sententiam idcirco sæpius inculcaui, ut neminem omnino lateret, nemo se de ignorantia excusaret. Quare ne solis Apostolorum aut Discipulis meis dictum videretur, putauit Euangelista clarè exprimendum, me omnes allocutum. ita enim habet:

Luc. 9, 23. *Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat CRUCEM suam quotidie, & sequatur me.* Id ipsum autem Marcus euidentius declarauit: postquam enim narrasset sermonem quem cum Discipulis de passione meâ habueram, subiecit:

Marc. 8, 34 *Et conuocatâ turbâ cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, denegat semetipsum, & tollat CRUCEM suam, & sequatur me.* Omnibus ergo, Staurophila, omnibus omnino hanc VIAM proposui. *Hæc est enim*

Bern. Ser. 1  
in die Palmarum.

via

via vite, via gloria, via ciuitatis habitaculi,  
 via regni. \* Non est salus animæ, nec spes æ-  
 terne vite, nisi in CRUCE. Non est alia via  
 ad vitam, & ad veram internam pacem, nisi  
 VIA SANCTÆ CRVCIS. Ambula ubi vis,  
 quare quodcumque volueris, & non inuenies  
 altiore[m] VIAM supra, nec securiore[m] VIAM  
 infra, nisi VIAM SANCTÆ CRVCIS. In CRU-  
 CE salus, in CRUCE vita, in CRUCE protectio  
 ab hostibus; in CRUCE infusio supernæ suau-  
 tatis, in CRUCE robur mentis, in CRUCE gau-  
 dium spiritus, in CRUCE summa virtutis, in  
 CRUCE perfectio sanctitatis.

\* Thomas  
 à Kemp.  
 lib. 2. de  
 Imit. Chri-  
 sti cap. 12.

Horrore quodam ad hunc sermonem per-  
 cellebatur Staurophila, admirans nihil aliud  
 quàm CRUCEM sibi denuntiari. Et durus,  
 inquit, mi Domine, hic sermo, qui animum  
 meum non leuiter discruciat. Nam & ipsum  
 CRVCIS vocabulum pœna est. \* Asperum enim  
 est cum dicimus, CRUX. & ipsius verbi aspe-  
 ritas, cum doloris, quem CRUX efficit, asperi-  
 tate concordat. Ideoque contremui ad verba  
 labiorum tuorum. Quid hoc? respondebat  
 Christus, ad eone ad solam CRVCIS mentio-  
 nem expausti? nimium delicata es, filia, cui  
 solum CRVCIS nomen incutiat terrorem. Et  
 vide num palam in nomen tuum pecces,  
 Staurophila, quod non dubites CRVCIS si-  
 gnificare amatricem. An ignoras, in hac la-

Chysoft.  
 Hom. de  
 Cruce &  
 Latrone.  
 \* August.  
 lib. de Prin-  
 cip. Dia-  
 lect.

cry-

crymorum valle non esse gaudij & delicia-  
rum tempus, sed laboris & afflictionis? Quis  
vniquam virtutis VIAM absque tribulatione  
& difficultate depinxit? An non ille cecinit:

Virgil. de  
Litterâ Pi-  
thag.

*Nam via virtutis dextrâ petit ardua callem,  
Difficilemque aditum primum spectantibus of-  
fert?*

Et alius:

Silius Ital.  
lib. 15. de  
Bell. Pun.

*Ardua saxoso perducit semita cliuo,  
Aspera principio (nec enim mihi fallere mos  
est)*

*Prosequitur labor, adnitendum intrare vo-  
lenti.*

Sed mittamus nunc hæc sæcularia. Tu sanè  
non ignoras me datum à Deo Doctorem iu-  
stitiæ, & magistrum veritatis, quem cælestis  
Pater in monte Thabor hoc elogio decora-

Matt. 17, 5. uit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi*

Ioan. 13, 13. *benè complacui; ipsum audite. Vos quoque  
vocatis me, Magister & Domine, & benè dici-*

Coloss. 2, 3. *tis: sum etenim. Nam in me reconditi sunt  
omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Iam*

verò in scholâ huius mundi, quid aliud do-  
cui quàm VIAM CRVCIS? An non apertè

Luc. 14, 27. dixi: *Qui non baiulat CRUCEM suam, & ve-  
nit post me, non potest meus esse discipulus?*

IESV præceptor bone, inquebat Stauró-  
phila, ignosce rudi etiamnum in scholâ tuâ  
discipulæ: pænè oblita eram decantatæ toties  
lectio-

lectionis. Non audiuisse, referebat Christus, sufficit; sed retinere audita, & in opus conferre oportet. Totum hoc vitæ spatium, à Deo tibi concessum, tempus studij est, quo doctrina CRVCIS ediscenda. A morte tempus est examinis: tum ego Magister & Iudex à singulis repetam præscriptam lectionem. Qui VIAM CRVCIS ignorauerit, reijcietur tamquam me indignus, nec scholæ meæ discipulus. Hoc enim signum CRVCIS erit in cælo cum ad iudicandum venero.

*Hoc signum oues ab hædis in extremo examine segregabit. Hunc in electis characterem ego Iudex recognoscam, & propria mortis decoratos stigmatibus, mox ad æternæ vitæ præmia gratis remunerator inuisabo, dicens: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. \* Tunc omnes serui CRVCIS, qui se mihi crucifixo conformauerunt in vitâ, accedent ad me Iudicem cum magnâ fiduciâ. Qui enim modò libenter audiunt & sequuntur verbum CRVCIS, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Tu itaque si discipula mea es, angustam & asperam incede viam, nec ægrè feras, nec indigneris. Non enim potest citra CRVCEM, non potest citra tristitiam præsens vita transmitti. Noli igitur, mea Staurophila, subito pauore perterrita refugere VIAM SALVTIS, quæ non est nisi angusto initio incipienda. Processu*

*verò*

Pet. Damiani  
Serm. 18.  
de Inuent.

Crucis  
Matt. 25.  
34.

\* Thom. à Kemp. l. 2.  
de Imitat.  
Christi  
cap. 12.

Chrysost.  
Hom. 66.  
Tom. 5.  
S. Bened. in  
Prologo  
Reg.



verò conuersationis & fidei, dilatato corde, in-  
 enarrabili dilectionis dulcedine curritur via  
 mandatorum Dei. His verbis perstricta Stau-  
 rophila, Propter verbâ, inquebat, labiorum  
 tuorum, Domine, deinceps custodiam vias  
 duras; fiducialiter ingrediar angustam CRV-  
 CIS VIAM; tu tantum sis Adiutor & Prote-  
 ctor meus Domine. Confide filia, aiebat  
 Christus; non ego te deseram, neque dere-  
 linquam, qui sic insto præcepto, vt præcur-  
 ram exemplo. Non enim iuberem venire  
 post me, aut sequi me, nisi ipse præcederem,  
 & tecum forem in omni angustia, & tribu-  
 latione cordis.

